

I 87.

85.

Hermann Miles¹⁾ an Vadian.

St. Gallen. 1516. December 16.

Glückwunsch zum Rectorat. Verweisung auf seinen letzten Brief. Das Befinden des Oheims Hugo. Abschluss eines Bündnisses mit Frankreich.

Sese commendat, vir præstantissime^{a)} et amice cordialis. Literas tuas novissimas et mihi iucundissimas gaudenter suscepi et legi, et præsertim super honore rectoratus, quo nullus Helvetiorum^{b)} vix umquam decoratus est, plurimum gavisus sum, tum ad decorem tuæ dignissimæ personæ, tum etiam ad totius parentelæ tuæ excellentiam, immo^{c)} universæ nostræ patriæ laudem. Faxit deus, ut semper tibi bene sit et, qui te ad hæc elegit, non cum Saule deiiciat^{d)}, sed cum manu forti et te et actus tuos felices prosperare dignetur. Hinc persuasum esse videtur, ut hæc verba Sapientis^{e)} (tibi notissima) iugi memoriæ imprimantur, cum ait: quanto magnus es, humilia te in omnibus. Literas ad te nuper cum germano tuo missas, in quibus consilium dedi, ut acceptis medicinæ insigniis statim ad nos accelerare non differas, scripseram; non puto ad te non datas. Etsi apud^{f)} nos non iuxta tuam magnificentiam tractari valeas, sed quod nobis possibile erit, faciemus.^{g)} de tempore, quo intitulatus sum, et igitur (??) non possum tuam Præstantiam, longe maioribus occupatum, molestare. Hugo patruus, etsi non in lecto decumbat, nec tamen (?) ædes egreditur; potius timerem recidivationem quam restaurationem. Nostri Confœderati^{h)} cum Gallo fœdusⁱ⁾ perpetuum inierunt magna pecunia^{k)} data et posterius danda, ubi nolo pias aures tuas diutius offendere. Intellego enim et genitorem tuum literas ad te dedisse, qui, ut non dubito, te plenissime informabit denique et literas insignium familiæ vestræ iuxta tuum desiderium mittat, per Augustinum Fechter, oppidi^{l)} nostri protonotarium^{m)}, qui se tuæ Humanitati obsequiosissimum exhibet, collationatasⁿ⁾ Vale, dignitate parens, ætate filius, dilectione frater conscriptus, et me, ut facis, ama. Saluta Melchiorum, fratrem tuum, eumque paterno, ut ita dicam, prosequere amore. Verum etiam et Georgium^{o)} Binder meo nomine salvum dicito oro. Ex Sancto Gallo, XVI Decembris, anno 1516.

Hermannus Miles, totus tuus.

Excellentissimo insignique viro Ioachimo Vadiano, studii Viennensis gymnasiarchæ poetæque laureato etc., domino et amico colendissimo.

a) Überall „e“ für „æ“ — b) „Elvetiorum“ — c) „ymo“ — d) „deiciat“ — e) ~~Oder „sapientia“?~~ — f) „apud“ — g) Eine unauflösbare Abkürzung. — h) „Confœderati“ — i) „fœdus“ — k) „pecunia“ — l) „oppidi“ — m) „prothonotarium“ — n) „collationatas“ — o) „Georium“.

1) Vrgl. zu Brief 15.

1516 Dez 23. Van H. Oeder I Anh. 243 Nr. 14
 1516 Van J. Reuchlin VII 6, Nr. 3.
 1516-17 J. Krachenberger III 159 Nr. 25.